



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Siciliensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)



PROVINCIA SICILIENSIS.

DEGVNT in Siciliensi Prouincia Socij numero quadringenti, & duo supra triginta, septedecim domicilijs distributi. In Panormitana Professorum domo versantur vnus & quinquaginta. In Collegio quatuor supra sexaginta. Vno minus in Messanensi: in Catanensi vnus & viginti: tres supra viginti in Syracusano: in Collegio Montis-regalis viginti: in Biuonensi septemdecim: nouem in Rhegino: in Calatieronensi duo supra viginti: vndeviginti in Drepanitano: in Menenino septemdecim: in Melitensi quatuordecim: vno plus in Marsalensi: Messanæ in domo Probationis viginti sex: Panormi verò quatuor & triginta: in Residentia Caltanissettensi septem: vno minus in Agrigentina. Admissi sunt ad Societatem tres & viginti: amissi morte quatuor.

DOMVS PROFESSA PANORMITANA.



COMPLEXA est hoc anno Panormitana
 Professorum domus vnum & quinquaginta,
 ex ijs Sacerdotes fuere quatuor & viginti: re-
 liqui Adiutores. Ad templum nostrum fre-
 quentissimus est, tum populi, tum etiam e prima Nobili-
 tate concursus: ij & sacrum oratorem audiunt, & sacro-
 sancto Christi corpore pascuntur. Prorex, eiusque vxor,
 liberi item cum reliquis domesticis vni confitentur e
 Nostris, nec sine maximo animorum fructu: multa enim
 publica bona inde dimanant, inter quæ illud prætermi-
 ttedum non videtur. Factum est per Proregem, confessa-
 rij monitu, vt quidam nobilissimi ciuitatis, ad mille in cu-
 stodijs propter varia scelera detentos perpetuo alerent.
 Sacri item Quæstores Nostrorum opera vtuntur maxi-
 mè, adeò vt Nostris ager ad colendum non desit. AERIS
 alieni non modicæ restitutiones factæ. Multi vlciscendi
 voluntatem, mox opere explendam ex animo delentes,
 cum inimicis in amicitiam rediere. Mulieres multæ tur-
 pem vitam agentes à flagitijs sunt auocata. Multis etiam
 cautum est ne in eadem flagitia demergerentur. Nonnulli
 à concubinato liberati: aleatores ac periuri à pessima
 peccandi consuetudine discesserunt. Nec verò intra vr-
 bis moenia Nostrorum opera se continuit: sed ad alia e-
 tiam oppida se extendit. Sacerdos vnus ad oppidum est
 missus, cui Castello bono nomen est, in quo eiusdem op-
 pidi Princeps magnum animi fructum ea Patris consue-
 tudine decerpfit. Is præterquam quod vniuersæ vitæ no-
 xas confessione generali eluit, vt mollissimam ceram ad

C

Patris arbitrium dedit sese, mirum in modum exoptans omnibus in rebus, atque actionibus ab eo commutari, & pro voluntate dirigi, maxima verò admiratione dignum erat, præsertim in tanto viro, assiduitas, & diligentia, quam in omnibus Patris monitis, præceptisque tenendis adhibebat: si quid verò ex ijs rebus profecisset diligenter aperiebat: atque hinc factum est, vt illud vectigalibus integritatis specimen præstiterit, quo omnes faciliè perspectum habuerint ad quantum virtutis cumulum ascendisset. Neque verò populo suus spiritualis deerat cibus, neque pueris ipsis qui Christianæ doctrinæ rudimentis instruebantur: vt verò promptiori animo ad templum pueri conuolarent, quibusdam munusculis alliciebat, ad quòd spectaculum, vti nouum in illo oppido, prudentes, & graues viri vndiq; confluabant, ac certatim ipsi etiam senes ad animi salutem necessaria dicere memoriter exposcebant. Rusticorum Sodalitas est instituta, quæ vberimos fructus pollicetur. Duorum etiam coetuum Sodales, qui nobiliores oppidi sunt, adeo Patris cohortationibus sunt incensi, vt omnes singulis saltem mensibus Eucharistiæ conuiuio pasci decreuerint. Tandem quia beneuolentiæ flamma erga Societatem opprimi faciliè non potest, Princeps magna contentione à P.N. Generali efflagitat, vt in suo illo oppido Societatis Collegium construarur, atque ad id præter absolutam Collegij ædificationem, mille aureorum summam in annos singulos munificentissimè affert.

COL

COLLEGIUM PANORMITANVM.

PRÆTER ea, quæ Panormitanum Collegium cum reliquis Collegijs habet communia, illud in primis minime prætermittendum est: Philosophiæ, ac Theologiæ studia è Messanenſi Collegio huc ſunt translata incredibili ciuium lætitia, maximaque diſcipulorum frequentia, ita vt Scholares omnes, tum qui Grammaticæ, tum qui ſuperioribus facultatibus operam dant, ſexcentorum conficiant numerum. Collegij ædificatio binis aureorum millibus promotæ eſt. Multi è Noſtris Chriſtianam doctrinam, alij in parœcijs, in plateis: alij etiam in publicis cuſtodijs, non ſine maximo animorum fructu expoſuerunt. Inter diſcipulos, qui Beatæ Virginis Sodalitium frequentant, ſingularia virtutis, & ſpiritalis profectus argumenta extitère: ex iis octo varijs Religioſorum familijs nomina dedère: ac puer vnus per fraudem, quemdam in locum adductus, incluſuſque, cum à potenti, & primario viro inuitaretur, vt effrenatæ libidini ipſius pareret, reſpondit intrepidè nunquam fore vt ſceleri aſſentiretur, etiamſi acerbiffima morte afficeretur, & ſecaretur in fruſta. His verbis impius adoleſcens ira incitatus, puerum pugnis, ac verberibus oneratum conijcit in catenas, ac manibus pedibuſque reuinctum ad præſepe alligari iubet. Iterum ad veſperam redit, vinculis ſoluit, minis, ac verberibus iterum aggreditur: vbi verò, & ſecundus hic impetus parum proſperè ſuccedit, blanditijs, ac muneribus à propoſito dimouere conatur: at puer animo non puerili communitus, ſeu o intuitu, ac duris reſpondens verbis, cuncta ſibi ab

illo oblata respuit: hinc iterum alligatus tres ipsos dies, totidemque noctes sine vlllo cibo transegit. Tandem petulantissimus, atque inhonestissimus adolescens cum alio sceleris conscio, & adiutore, binis pugionibus arreptis ad extremum certamen comparant sese. Puerum igitur in impotentem rabiem incitati nudis pugionibus adoriuntur, parere effrenatę voluntati iubent, fidas ostentant, mortem denique admotis corpori gladijs, inermi puero minitantur. In id dementia, ac sęuitię homines libido præcipitat. Inter hæc validus puer diuino adiutus præfido, millies se moriturum respondit, prius quàm de sententia depellatur: illi verò desperata iam victoria, eum noctu dimittunt.

M E S S A N E N S E C O L L E G I V M.

IN Messanenſi Collegio verſati ſunt ad Septembrem vſque nonaginta quinque, Sacerdotes viginti quatuor, ſcholastici triginta nouem, reliqui adiutores reliquo anno Theologię, & Philoſophię ſtudijs Panormum translatis cenſentur Socij tres ſupra ſexaginta, Sacerdotes decem, & octo, quorum vnus tredecim è Noſtris ſcholasticos humanas litteras docuit: alter Hebręas externos. Sex item Profefſores, vnus Rhetoricę, alter humanitatis, reliqui Grammaticę. Scholastici noſtri ferè omnes & ſtudiorum intermiſſionibus ad ſacras commentationes ſe contulerunt, nec mediocriter adiuti ſunt. Meſſis rerum ſpiritualium cum externis hoc anno vberrimè conſtitit. Plurimi è peccatorum coeno emerſerunt: eo præſertim tempore, quo aliquot terręmotus in ciuitate facti ſunt: plures to-
tius

tius ante-actæ vitæ confessiones à Nostris exceptæ. Ple-
rique qui cum concubinis bonam vitæ partem traduxe-
rant, ad pietatem reuocati, mulieresque dotatæ. Alijs ne
ad turpitudinem iterum redirent, cautum est. Horum v-
nus in primis diues cum concubina ex qua plures liberos
susceperat, non sine populi offensione viuebat: hic cum in
quemdam Societatis incidisset, coepit Sacerdos de vitio-
rum foeditate verba facere, idque exemplo hominis pel-
licis amore impliciti confirmare (dixisses virum data o-
pera, an Dei prouidentia de audientis vita historiam e-
narrare) ira primum incensus est homo perditus, ratus se
de suo vitæ statu à Sacerdote admoneri. At simul ac rei
penitus inscium Patrem, quin potius inspirante Deo locu-
tū cognouit, permulceri paulatim, ac mollescere coepit,
& dolens, de emendationis vitæ genere cogitare. Ac
primum exemit se peccatorum vinculis, confessione fa-
cta: inde verò foeminam id ægrè ferentem ad monasti-
cam vitam suscipiendam hortatus est, quæ tamen ita ob-
durato animo fuit, vt nullis monitionibus locum dederit:
quin contra etiam blanditijs, lachrymis, minis, iniurijs,
eum ab instituto reuocare conabatur, verum tandem
mutato consilio hominis monita amplexata est. Ille de-
mum eodem patre suadente mille aureos in dotem largi-
tus, honesto viro in matrimonium collocauit.

MITTO pacificationes, quæ Nostrorum opera in-
ter inimicissimos conglutinatæ sunt. Illud tamen præte-
reundum non est. Duo & matrimonio coniuncti, & hone-
sto loco nati, mutuis inter se odijs adeo exarserant, vt de
interficienda coniuge maritus ferro, aut fame cogitaret,
& cum filijs in aliam regionem commigrare. Res vbi ad
Nostrorum aures delata est mox summa cū familiæ gra-
tulatione in concordiam redacti, impeditumque quod
imminebat graue discrimen. Nec minor fructus ex alio
perceptus est, qui ære alieno premebatur: hic cum sol-

uendo non esset, vniuersam suppellectilem distraxit, & in eam amentiam venit, vt amantissimam vxorem ferro petiuerit, eiq̄ue plurima vulnera inflixerit. At post patratum scelus moerore confectus templum ingreditur, cum quodam è Societate (qui fortè eum in locum venerat) sermonem habet, ac paulatim captus dulcedine verborum, suam desperationem aperit Sacerdoti, qui vbi resciuit, bono animo esse iubet, pollicitus, se vxorem vbi conualuerit, conciliaturum, acturumq̄ue cum creditoribus de temporis dilatione. Quid plura? factum, annuente Deo, vt qui dudum veluti furore correptus credebatur ac perditus, illi, breui quadam curatione sermonis, omnis auferretur mentis perturbatio. Catechumeni nonnulli Christianam fidem à Nostri edocti, sacroq̄ue baptis-
 ma-
 te lustrati; in quibus vnus tanta cum constantia fidem suscepit, vt quamuis omnibus dominorum promissis fuerit fraudatus, magna tamen cum lætitia, ac religione sacris initiatus sit. Multi non ex vrbe tantum, sed ex vicinis oppidis iniurias inimicis condonauerunt. Ex Sodalitibus tres in Societatem cooprati.

COLLEGIUM SYRACUSANVM.

NVMERAVIT Syracusanum Collegium Socios tres supra viginti, Sacerdotes nouem, Humanitatis doctorem vnum: duos Grammaticæ, ad domestica ministeria adscriptos vndecim. Præclara hoc anno in animorum salute procuranda Nostrorum extitit industria. Confessiones solito multo plures exceptæ, piæ itidem habitæ cohortationes. Congregationes quatuor melius habuere nunquam: eas siquidem

siquidem ducenti frequentant, qui omnes non obscura
 suæ virtutis præbent argumenta. Vnus è Nostris toto
 Quadragesimæ tempore in æde maxima, ciuitatis roga-
 tu, concionatus est, qui vberimos Deo fauente fructus
 domum reportauit, commoda vsus occasione, quæ per-
 opportunè se obtulit: sicca enim hyeme cum segetes, vi-
 neta, oliueta, arua denique squallerent omnia, & frugum,
 pomorumque spes nulla ferè ostenderetur, mirum in
 modum permota ciuitas, toto diuinam opem Quadra-
 gesimæ tempore, monitis concionatoris, implorauit, sup-
 plicationibus plurimis ad varia vrbis templa, decretis
 eleemosynis benignissimè, vt ita nunquam, in pauperes
 erogatis, alijsque pijs operibus maxima cum pietatis si-
 gnificatione cōfectis. Neque verò voluntariæ afflictatio-
 nes sunt desideratæ: præter plurimos enim, qui suppli-
 cium non leue de se voluntaria diuerberatione ad san-
 guinis vsque effusionem publicè sumpserunt, magistra-
 tus ipse, & è prima nobilitate complures semel, atque
 iterum in hebdomada acerbissimis verberibus in nostra
 æde, sese sponte affecere: à concionibus insuper ferè nul-
 lus aberat: quin & tota propemodū ciuitas ipso maximi
 ieiunij tempore, ter elutis animi fordibus diuinum con-
 iuiuium celebravit, quod pium sanctumque institutum
 permulti cæteroquin effrenati iuuenes secuti, maxima
 bonos omnes lætitia cumularunt. Templum variè exor-
 natum est, imagine primum B. Virginis sponsi præclarè
 depicta: deinde thuribulis, & reliquiarū thecis ex argen-
 to affabrè factis, alijs denique rebus huiusmodi sacellum
 item erectum: reliqua verò sacella ab alijs exstructa au-
 ratis signis, alijsque ornamentis excandentissimo mar-
 more cōfectis mirum in modum ex ornata. Collegij æ-
 des amplificatæ haud exigua pecunia ad scholarum ædi-
 ficationem tradita eleemosynæ nomine.

I O A N N E S Baptista Puzzius Messanensis ex ho

Collegio efflauit animam. Hic annos natus circiter viginti quatuor, cum Nouitium, & Humanitatis studia exegisset, præceptoris munere fungebatur: at cum in molestissimum morbum incidisset, quando grauius afflictabatur, præclara obedientiæ, ac pietatis argumenta patefecit. Neque verò morti proximus, quamuis grauissimis doloribus torqueretur, mente aut sensibus est destitutus, imò integros ipsos dies miris modis ad proximam mortem sese comparans, adeò diuinis rebus erat intentus, vt mentem à cælestium rerum meditatione nunquam auerteret: cuius rei argumento erant hymni, psalmi, preces denique, & carmina, quæ sapissimè, imò verò assidue decantabat: atque hinc fiebat, vt Nostri ad eum audiendum potiùs quam ad tradenda monita conuenirent. Noxarum supplex à Deo O. M. veniam implorabat, & à Socijs si quid illos offendisset, quin etiam flagellum summis precibus exposcebat, vt vel tunc fractum iam corpus acri diuerberatione puniret: tantum denique breui eo tempore, quo in nostra Societate vixerat, Deo bene iuuante, in omni virtutum genere profecisse visus est, vt non modò mirum sui desiderium Socijs reliquerit: verùm etiam simile mortis genus inflammatis votis sibi omnes exoptarint.

COLLEGIUM
CATANENSE, ET
Montis-Regalis.



AB ET. Catanense Collegium Socios vnum, & viginti, Sacerdotes nouem, Professores tres, Humanitatis vnum, duos Grammaticæ, reliquos adiutores. Beatissimæ Dei Parentis Sodalitia

litia crescunt in dies magis, fructu scilicet, & existimatione; è quibus, quod discipulos complectitur, trium exemplo, qui in Societate Deo se dedicarunt, ad pietatem inflammatum est maximè. Aliud etiam Sodalitium, in quod plebeij adscribuntur, nouo ad Romanum aggregationis priuilegio mirum in modum ad pietatem excitatum est. Montis-Regalis Collegium continet socios viginti; Sacerdotes octo, quorum vnus sex è nostris scholasticis quæstiones de moribus ad Christianam vitam moderandam exponit, Professores insuper duos, humanitatis alterum, alterum Grammaticæ; reliquos coadiutores. Sacramentorum vsus fuit in nostro templo frequentissimus. Archiepiscopi rogatu Sacerdos è Nostris in æde maximè concionatus est, qui nomen Societatis concionibus auxit. Nostris complures canonici, vinculis detenti, sacræ virgines, alijque cuiuscumque ordinis totius anteaetæ vitæ noxas aperuerunt; nec sine maximo animorum fructu, vt ipsimet pleno ore fatentur. Domi data est opera, vt accuratè Societatis leges, canonesque seruarentur. Collegij necessitatibus Archiepiscopus occurrit, vt assolet, non exiguam frumenti partem elemosynæ nomine Nostris attribuens.

C O L L E G I V M
B I V O N E N S E , E T
R h e g i n u m .



BIVONENSIVM in nos amor, & benevolentia illustris est, atque hinc magni fiunt ad nostrum templum concursus hominum, qui diebus festis cœlestibus assistunt epulis: tres è libidinis cœno emersere, ac cœlesti nunc pane


vescuntur, quæ cibus olim demonis erant: æs alienum restitutum. Obijt hoc anno Iosephus Imperuccia Iblæus sexagenarius, qui multos annos in agris, & vinetis Sociorum excolendis summa cum virtutum laude se exercuit.

HABITANT in Collegio Rhegino, propter innumera propemodum incommoda, quæ hoc anno acciderunt, nouem; Sacerdotes quatuor, doctores duo, adiutores tres. Variè à Domino hæc sedes, vt & ciuitas vniuersa probata est: à vi. enim Idus Iunij per tres ipsos. menses tam magnis terræ motibus concussa est ciuitas, vt plurimè domus exciderint: at in nostro templo, tres è quinque concameratis fastigijs corruerunt; reliquum verò Collegium conquassatum est maximè; cuius pars etiam ruit in præceps; igitur imminente periculo, ne reliquum Collegij decidens Nostros opprimeret, Patres, fratresque sub aperto cælo constructis quibusdã tugurijs (vt reliqui ciues fecerant) dormire sunt coacti. Neque verò spiritualis fructus interim à Nostris est desideratus: permulti enim tot, tantisque commoti terroribus, ad Confessionis Sacramentum gemebundi confluxerunt: publicæ etiam supplicationes indictæ, in quibus non pauci se voluntario cruciatu conciderunt flagris. Pax Archiepiscopi, Nostrorumque opera inter primarios constituta est, quorum inimicijs nisi peropportunè à nobis esset occursum, maxima proculdubio inde pernicijs emanasset.

TURCICAE classis infestationes Nostrorum laboribus, labores adiunxit: Non enim mediocriter Patres, quæ in instruendis ad pietatem militibus, quæ in domesticis rebus Turcarum metu celandis elaborarunt; in quibus corporis afflictationibus vis diuinæ prouidentiae perspecta est: Cum enim domus omni spe destituta videretur, propterea quia nec satis esset Nostris ad restituendum id quod exciderat; nec à ciuibus auxilium aliquod expectaretur, qui omnes tot infortunijs oppressi quodammodo vi

do videbantur : Regis tamen Philippi liberalitas præsto fuit, qui mille aureis eleemosynæ nomine erogatis, Collegij miseriam subleuauit; idemque Archiepiscopus, ac nonnulli ciues subinde præstiterunt: Dux verò Seminaræ ligna non parua concessit. Ex Beatæ Virginis Sodalitio omnes cælesti cibo sæpius sunt depasti: stipem precario coegerunt ad mendiculos vinculisque detentos aliqua ex parte subleuandos: in solempni verò Natalitio quadraginta horarum supplicationem instituerunt, quibus Archiepiscopus maxima animi voluptate interfuit. Duo tandem cum in maximum essent vitæ periculum adducti, Nostrorum opera sunt liberati.

COLLEGIUM CALACTENSE.

ONSTAT Calactense Collegium Socijs duobus supra viginti, è quibus Sacerdotes sunt nouem, humanarum litterarum Præceptor vnus, duo Grammaticæ; reliqui rei domesticæ administri. Sacramentorum vsus nihilo inferior hoc anno, quàm superioribus fuit. Sodalitia quædam instructa, aliaque quæ superioribus annis initium habuerunt Nostrorum conatu confirmata, numerusque Sodalium auctus. Aegrotus quidam cum vnus è Nostris ascuisset, concubinam, qua cum viginti annos vixerat, admonente Patre deseruit, veramque accepit vxorem, quam antè viginti annos duxerat. Herbitæ Sacerdos vnus maximi ieiunij tempore ad populum de rebus diuinis dixit, plurimaque effecit è re Christiana: in primis verò, cum inter Urbis Primarios (ij octoginta circiter erant) maxima contentio fuisset exorta, omnesque de extruendo quodam

quodam facello inter se grauiffimè dimicarent, Patris prudentia maximum illud incendium extinctum est, atque ad facellum erigendum mille aurei nummi sunt coacti, è quibus quingentos ciuitas, totidemque ciues attribuerunt. Sodalitas etiam est instructa, in qua quadringenti numerantur, crescitque in dies propemodum singulos.

COLLEGIVM

DREPANITANVM.



REPANI versantur Socij vnde-viginti, Sacerdotes nouem, doctores duo, reliqui adiutores; Societati nomina dedere quatuor. Quadragesimæ tempore, ac diebus festis licet pluribus in templis concionatores ad populum verba fecerint; maxima tamen hominum frequentia ad nostrum concionatorem audiendum defuit nunquam. Multorum sunt confessiones auditæ, ac plurimi à peccatorum cœno ad piam, sanctamque vitam deducti. Nonnullis, qui seruitutem apud Turcas per annos multos seruiebant, auxilia sunt præstita, eorumque confessiones per interpretes acceptæ. Nosocomia nostri frequentarunt, qui ægros ad hortationibus magna ex parte leuarunt. Cum aliqui ad ægrotorum confessiones excipiendas, & ad ipsos in extremo vitæ tempore confirmandos nocturnis temporibus adscirentur, ijs sedulò est satisfactum. Meretriculæ nonnullæ Nostrorum suasu intra pudicitæ septa recepere sese, quibus honestæ vitæ alimenta sunt procurata; alijs etiam Nostris subuenere, quæ in maximo vitæ periculo versabantur; & vt ex tum in tuto loco constituerentur, tum etiam intra monasterij claustra reciperentur elaboratum est, atque his dotes ad id commodè faciendum sunt procuratæ. Vir quidam huiuscemodi me-

retri

inaborn

retriculam ad Nostros adduxit, quam perditè adamaue-
rat, ea Confessario anteactæ vitæ noxas aperuit, ac viro
illo monente religiosum induta habitum, in matronæ
cuiusdam honestæ in primis, ac nobilis domum se rece-
pit, quæ omnia cum perfecisset, ecce tibi homo ille subi-
tò mutato consilio mulierem aggreditur, precibus, &
blanditijs ad lutulenta illa scelera, è quibus dudum e-
merferat allicere tentat: his rebus vbi nihil proficere
comperit, præcipiti furore inflammatus districto adori-
tur gladio, religiosum habitum vi euulsum effringit,
mortis metu, si effrenatæ ipsius libidini non assentiatur
fremebundus deterret: restitit mulier probè à confessa-
rio instructa; nec tam variè à nefario viro oppugnata ab
inceptæ vitæ proposito potuit dimoueri; ac ne in poste-
rum aliqua tali tempestate frangeretur, nauicula con-
scensa in longinqua loca, ad conceptam animo sanctimo-
niam colendam adnauigauit.

TEMPLVM populi liberalitate concinnatum est
adeò, vt & capax, & ad nostros vsus commodum videa-
tur. Dominicis diebus pueris, alijsque Christianæ fidei
rudimenta à præceptoribus explicantur. Obijt Deme-
trius Lopez Contessanus coadiutor, qui multos annos in
Societate expleuerat; vir ætate quidem maturus, anno-
rum ferè sex supra quinquaginta; sed egregijs virtutibus
insignior. In quibus quantum profecisset in grauissima,
molestissimaque infirmitate satis ostendit, vt rotum vitæ
cursum omittam. In patientia verò, sui ipsius contemptu,
mutuaque cum fratribus charitate maximè eminebat:
otiosus visus est nunquam, quod maximum est verè cha-
ritatis indicium; aut igitur orationi incumbere, aut de-
fessos Coadiutores subleuabat, tamque hilari tutoque
animo mortem obijt, vt vel ex ipsa oris hilaritate ad
Deum migrasse videretur. Mulier primaria bona sua, quæ
triginta millium aureorum summam conficiebant, nobis,
viuens,

viuens, sponte donauit, quod ciues in maximam admirationem induxit, propterea quia neque Nostros à confessionibus haberet, neque nostrum templum frequentaret. Hoc tandem anno excessit è vita, haud leuia suæ salutis argumenta relinquens: cum enim natura duce, mortem mirum in modum formidaret, ipsis ante obitum diebus euasit impauida; ita ut & astantes, ut abstinerent à luctu commoneret, & eis ne extremum diem timerent vires, animumque faceret, utpote qui esset vitæ melioris initium. Nobilis item vir excessit è vita, qui ab vltima adolescentia nostras scholas, & grandior nobilium Sodalitatem frequentauerat, in qua octauo quoque die elutis animi sordibus diuinum conuiuium celebrare consueuerat: postremò in grauissimum morbum incidit, eius vi intra tres dies ab vsu mentis deturbatus, etsi delirabat assidue; nihil tamen non modestum, nihil impium, nihil non sanctum aliquando effatus est; ita ut astantes maximam in admirationem adduceret. Sanæ verò menti quartum post diem restitutus, confessarium ad se statim adsciri iussit, cui ut cunctas vitæ noxas aperuit, quæ tunc temporis in mentem venerant, confessarium rogauit, ipsi ut culpas aliquas in mentem reduceret, quæ fortè temporis longinquitate excidissent: perfecit pater incredibili cum ægroti voluntate: nec multum interfuit, cum sublatis ad cœlum oculis in hæc verba prorupit: Nosti, Deus optime, annum me trigessimum attigisse, quo tempore te benè iuuante, in nullis me libidinis maculis volutatum cognoscis; at tamen ab occultis meis munda me, Domine. Reliquo autem eo, quo vixit, tempore, ne verbum quidem ultra protulit, licet Christi è cruce pendentis imaginem lachrymabundus aspiceret. Tandem cum Pater Apostolicum symbolum recitaret quieuit in Domino. Quadraginta horarum supplicatio extremis bacchanalibus, maxima hominum frequentia est indicta, effectumque

que vt ludi quidam, è quibus odia, inimicitia, cædes denique non paucæ promanabant, obliuioni perpetuæ traderentur.

COLLEGIUM MENENINVM.



VI Menis è Societate exercentur septemdecim numerantur, Sacerdotes septem, Doctores duo Humanitatis, & Grammaticæ, reliqui Adiutores. Frequens fuit hoc anno, vt superioribus ad nostrum templum numerus, sacramentorumque vsus. Conciones habitæ, initiaque Christianæ legis exposita populum ad pietatem excitarunt. Nonnulli in vicina oppida dimissi vberrimos laborum suorum fructus multis præclarè constitutis reportarunt, sedata odia, execrandi ritus radicitus euulsi, multiplex scelus, & immane deletum. Sodalitates eorum opera restituta, aliaque complura perfecta. Quadraginta horarum supplicatio extremis Dionysijs hoc anno primùm Menis instituta est. Collegium ædificatur strenuè, ita, vt breui, Nostris percommodum fore credatur. Discordia sæpius à nostris sedata est, quæ nunc iterum familijs quæ reliquæ esse videbantur exitium portendebat: siquidem Menis de trium sacrarum ædium principatu est vetusta contentio, ex qua olim cædes, incendia, familiarum destructiones dimanarunt: nunc denuò tandem sensim exorta ad vrbis interitum grassabatur, cum Nostrorum industria, obliuione perpetua obruta est: colossi præterea erecti, in quibus hæc concordia publicis tabulis describeretur.

COLLEGIUM
MELITENSE.

CENSETVR Melitense Collegium Socijs quatuordecim, Sacerdotibus quinque, binis Præceptoribus, Humanitatis altero, altero verò Grammaticæ, septem rei domesticæ administris. Crescit verò Episcopi, & equitum erga nos amor, & studium adeò, vt nulla dimittatur occasio quin ad Nostros recurratur. Nonnullæ è meretricio sunt abductæ, quæ partim intra cœnobiaz se Deo O. M. dicarunt, partim in matrimonium certis viris sunt datæ, eæ vt aperta suæ conuersionis præberent argumenta, generali confessione rotius vitæ maculas eluerunt. Restitutiones aliquot factæ. Candidati nostræ fidei Christianis præceptionibus imbuti. In triremibus confessiones audita, Capitis denique damnatis præstò fuimus.

COLLEGIUM
MARSALENSE.

DEGVNT in Marsalensi Collegio quindecim è Societate, Sacerdotes septem; Humanitatis, & Grammaticæ Præceptores duo; reliqui Adiuutores. Hæc planta nouella quidem est; at pulcherrimos suauissimosque fructus pollicetur. Sit argumento mira erga nos beneuolentia, & charitas, maximaque opinio, quam de Societate concepere: ita vt non doctos tantum, & omnibus doctrinis excultos suspiciant: sed

sed pios, sanctosque venerentur: à nobis verò ea præstantur omnia, quæ ad eorum excolendos animos apta esse videntur: concionibus ad rectum salutis iter impellimus: rudes Christianæ disciplinæ rudimentis expolimus: Sodalitijs B. Virginis benè instructis ad pietatis munia excitamus: publicis denique custodijs detentos inuisimus. Collegij autem ædificatio crescit in dies.

DOMVS PROBATIONIS MESSANENSIS.



CONTINETVR Messanense tyrocinium Socijs viginti sex: Sacerdotibus tribus veteranis, qui verò sunt reliqui, nouitij. Porrò omnes, qui in hac domo versantur, mortificationis, & fraternæ charitatis studio, toto pectore incumbunt. Plurimi inflammato desiderio in Societate admitti requirunt. Pater vnus Quadragesimali tempore ad oppidum Calabria, cui Sanctæ Agathæ nomen est, concionandi causa se contulit: is singulis diebus manè ad populum verba faciebat, à prandio festis diebus Christianæ doctrinæ capita exponebat, ter in hebdomada cum clericis de rebus ad eorum inunus pertinentibus agebat: eo verò tempore quod illi supererat, antemeridianis mulierum, pomeridianis horis virorum confessiones excipiebat. At verò tam variè excultus ager fructus lætos, & vberes attulit. Ipso enim magni ieiunij exordio, tota ferè gens criminibus expiata, Eucharistiæ conuiuium iniit, quod mirum in illo oppido videbatur, cum vix semel singulis annis oppidani id facere consueuissent. Pueri præterea, ac mulieres Christianæ doctrinæ rudimentis im-

42 PROVINCIA SICILIENSIS.

butæ, certatim ea proferebant. Quinquaginta aurei sunt ad templum construendum emendicati; Pixis item argentea sacræ Eucharistiæ asseruandæ procurata, cum oppidanorum inopia lignea tum temporis vterentur. Duo Sodalitia pristinum videre feruorem. Quadraginta horarum indicta supplicatio, quæ tanto studio ab omnibus est accepta, vt nemo statuto sibi tempore abfuerit, & si atrox per id tempus exorta tempestas viros, animalia, ædificia denique absumpsit plurima; tandem adeo erat maximus populi concursus ad Patrem audiendum, vt is in Campi æquore verba facere sit coactus.

DOMVS PROBATIONIS PANORMITANA.

HABVIT Panormitanum Tyrocinium Socios triginta quatuor, Sacerdotes quinque, totidem veteranos, reliquos tyrones. Vincentius Riuera Boccherensis, ex hac domo ad immortalitatis præmia, vt speramus, auolauit: Is annos natus circiter viginti quinque, annum, mensesque nouem in Societate exegit: imprimis verò charitatem, cæterasque officij religiosi partes mirum in modum coluit: in sui verò contemptu fuit eximius: maxima verò admiratione dignum erat, quod cum tenuis esset ingenio, nec disciplinis satis esset excultus, de diuinis rebus, atque adeo de sanctissimæ Trinitatis mysterio tam scitè agebat, vt omnes hæc illi diuinitus patefacta iudicarent: maxima enim de eo apud omnes erat opinio sanctitatis. Porro in grauissimaphthisi, qua septem circiter mensibus laborauit, nunquam de aliqua re, atque adeo de ipso valetudinis dolore
con

conqueri est auditus, quin etiam cum sanguinem vomeret ab initio, lætitiã & risum minimè poterat continere, cum iam opere sua vota compleri cerneret. Intimo enim cordis affectu efflagitauerat aliquando, vt aliqua sibi pro Deo patiendi daretur occasio: sensit tùm auditas preces, fore vt vehementer in biennij fine laboraret: quin & diuinam opem, qua omnia superauerat, præstò sibi fore cognouit. Gaudebat igitur in periculis adeò, vt & Nostros in maximam admirationem induceret, & medicum, qui se ei toto pectore commendabat, eiusque eximias virtutes, vel nunc apud externos non vulgaribus verbis attollit, & prædicat: tandem cum extremum sibi adesse diem sensit, cælestes dapes sibi porrigi: & sacro inungi oleo postulauit, quibus munitus ille optimus adolescens excessit è vita, tertio Id. Septembris. Duo item nobili loco nati nomina Societati dedere. Hi cum natu essent maiores, suaque ipsi bona administrarent, se suaque omnia Deo obtulerunt: horum alter ad mille aureos nummos in annos singulos Societati donauit.

HVIVS Tyrocini fundator Octavius Lombardus excessit è vita, nosque ex asse instituit hæredes, quæ hæreditas post annos aliquot summam excedet, quam ad domus foundationem olim attribuit: post mortem verò in nostra æde sepultus est.



RESIDENTIA CALATANESCETTEN- sis, & Agrigentina.

CALATANESCETTAE Collegiū ædifi-
catur strenuè, ita vt breui viginti è Nostris
commoda futura sit habitatio: oppidani verò
vt Collegium quàm citissimè constituatur,
summis precibus exposcunt: septem verò è Nostris qui
illic interim commorantur eos, quibus valent auxilijs, ad
pietatem inflammant. Agrigentum verò Episcopi, ciuium-
que rogatu sex ex Nostris se contulerunt, qui mira sunt
omnium excepti lætitia: fructus hic ager dedit vberes,
deinceps etiam vberimos se daturum pollicetur.

PRO

